



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

5. Ludouici Pij Imperatoris Diploma Dat. in Longolano, Anno Regni eius IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

valeant viuere & orationi vacare. Quapropter Werinolfo Abbatii de eodem Monasterio supradicti Confessoris Christi, quod est constitutum in suburbio Treufris, atque dedicatum in honore S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, monachisque in eodem loco Christo famulantibus regali autoritate seu potestate concedimus, ut habeant in sæcula post nos futura, liberam potestatem eligendi Abbatem inter ipsos monachos, si autem ibi non poterit inueniri, elegant sibi, vbiunque voluerint. Insuper nostra præceptione constituimus, atque inconuulsè firmamus, ut nullus Regum nobis succendentium, vel alia persona aliqua contra eundem locum, vel monachos in totâ Abbatiâ vilam potestatem exercere præsumat, nec telonium vsquam à nauibus eorum exigat, seu placitum teneat, sine iussione & petitione Abbatis, sed securè & cum pace maneat locus ille sub nostro, & successorum nostrorum Mundiburdio. Et ut istius chartæ authoritas firmiter per tempora habeatur, nostræ manus signaculis eam affirmare decreuimus, & annulo nostro firmari iussimus.

*Caroli*  
Signum Karoli Gloriosissimi Regis.  
Rado relegi. Data mense Augusto  
Quadragesimo anno Regni nostri.  
Acta Padreburnæ Fisco nostro, super  
ipsa.



O

5.

Ludouici Pij Imperatoris Diploma Datum in Longolano,  
Anno Regni eius IX.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ludouicus diuinâ propitiante clementiâ Imperator Augustus. Vniuersis Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus seu omnibus publicæ rei seruientibus tam præsentibus, quam & futuris notum sit, quoniam insignis Vir & Abbas Elysachar de Monasterio S. Maximini, vbi ipse requiescit, quod dedicatum est in honore S. Ioannis Euangelistæ in Ciuitate, quæ dicitur Treuiris, attulit nostræ Regalitati quoddam Privilium Senioris & Patris nostri Karoli bona recordationis atque Excellentissimi Imperatoris, in quo suâ benevolâ largitate denotatum fuit, qualiter supradicto Monasterio & Monachis in eo pro regni nostri salvatione Deo se-

e Treveris  
f Sancti Joannis

g secula  
h protest

i Albaia  
k thelonium

l firmior

+ xi  
Fata  
Patresfronna

dulò seruientibus ad necessitates eorum leuigandas concederet, vt nullus in potestate suā esset, nec post eum futurus, qui in Curtis vel villis eorum placitum tenere, vel quidquam potestatis præsumeret exercere, sine Abbatis & Monachorum permissione. Et addens, vt vbi cunque naues eorum vel homines peruenissent, nullus telonium ab eis exigere auderet. Et deprecatus est prædictus Abbas, vt iuxta morem paternum per nostram authoritatem idem concederemus, cuius rogationi assensum præbere omnimodè placuit. Igitur istud præceptum ad utilitatem Monachorum fieri iussimus, per quod imperamus, ne quislibet de iudiciaria potestate in Curtes, vel in villas ipsius Monasterij ad causas audiendum, nec fideiussores tollendum, neque ad manendum aut homines ipsius Ecclesiæ distringendum ingredi præsumat, sed sicut ipse locus sub Antecessorum Regum haetenus fuit conseruatus: Ita deinceps per nostram authoritatem permaneat in conuulsus, & vt istud decretum firmius per tempora conseruetur, manus nostræ subscriptione & annuli nostri impreßione signari iussimus.

Signum Ludouici Serenissimi Imperatoris.  
Donandus Diaconus recognouit. Datum IV.  
Nonas Aprilis, Anno Regni nostri IX. In  
Longolano feliciter. Amen.

P O E  
L I S



6.

*Lotharij Regis Diploma Datum Metis, Anno Domini DCCCLXVIII.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cūm Regalis officij sit diuersorum partium negotia pia sollicitudine præuidere, maximè tamen in his quæ ad Deum pertinent. hoc est in Ecclesijs stabiliendis seu confirmandis: ab antecessoribus nostris in honorem Dei constructis. Summum necesse est studium impendere. Vnde Nos de statu Regni nostri tractantes, Consulente Venerabili Episcopo Metensis Ecclesiæ Aduentio, Abbatiam S. Maximini, qui in suburbio Treuirorum requiescit, cui Venerabilis Abbas Waldo præesse videtur, more piæ memoria Domini Lotharij Imperatoris Genitoris scilicet nostri, cæterorumque Antecessorum nostrorum, nostris etiam Priviligijs corroborare decreuimus, & nulli alij subiectam vel obnoxiam, excepto Nostre Regalitati, sicut sub Antecessoribus nostris esse voluimus: Nulli etiam Comitatui bannum ac fredas exoluat: vel aliquis, in locis eiusdem Sancti Maximini

sine